

ORATIO

HABITA

IN REGIA UNIVERSITATE

COMPLUTENSI.

J. Enrique Garcia.

legum, atque iuribus Sacrosanctis inventum,
Paris, et Reipublice vestrae, reverentia Informati-
one, hoc nunciat.

Quod quoniam, in omnibus, hoc nunciat
omnino, hinc inde, et omnino, et omnino, et omnino,
omnino, hinc inde, et omnino, et omnino, et omnino,
omnino, hinc inde, et omnino, et omnino, et omnino,

ORATIO

in Collegio
S. Crucis, in die
S. Crucis, in die
S. Crucis, in die

IN RECTORII UNIVERSITATIS

COMPLUTENSIS

21 Junij 1600

ORATIO

de

EXQUIRENDA ANTIQUORUM SAPIENTIA,

HABITA

in Regia Univers. Complutensi

DIE XVIII OCTOBRIS ANNI DOM. MDCCCXXVIII.

à Patre

D. FR. PAULINO MENCÍA,

Ordinis Prædicatorum

Sacrae Theologiae, et Eloquentiae Professore.



MATRITI:

Apud E. Aguado, Regiæ Universitatis Typographum.

AN. DOM. MDCCCXXVIII.

OPUSCULO

EXQUIRENDI AZTIQURUM SAPIENTIA

*Nihil ultra liceat novitati, quia nihil addi con-
venit vetustati: perspicua Majorum fides, et credu-
litas nulla cœni permixtione turbetur.*

S. Sixtus Papa III in Epist. de causa Nestorii
ad Episcopum Antiochenum.

D. FR. PAULINO MENCIA



MATRITI

Apud E. Aguado, Regis Universitatis Typographum

MDCCCXXXIII

An. Dom. MDCXXXIII

(A)

~~~~~

**F**idelis sermo, et omni acceptione dignus: Sed et per jucundum, gratissimumque mihi, PP. AA., hodie in conspectu vestro rem tanti momenti nunciare, qua nihil utilius est in vita hominibus. Ecce enim dives metalli vena nobis proponitur, argenti principia reserantur, et auri locus, in quo conflatur, patefactus est. Denique Sapientiæ prætium, quod nescit homo, quæ abscondita est ab oculis omnium viventium, et volucres quoque Cæli nunquam non latet, in Sapientium Presbyterorum narratione, in ipsorum proverbiiis, in alligatione, et captivitate ad eorum dicta inveniri, asservarique, sacra eloquia luculentissime testantur, semel, iterumque apud Ecclesiasticum inclamando: *Ne despicias narrationem Presbyterorum Sapientium, et in proverbiiis eorum conversare, ab ipsis enim disces sapientiam, et doctrinam intellectus, et servire Magnatis sine querela. Non te prætereal narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à Patribus suis; quoniam ab ipsis disces intellectum, et in tempore necessitatis dare responsum.* Quid plura?

Igitur calcanda perpetuo nobis Priscorum vestigia, exquirenda, sectanda eorum doctrina, qui à



Patribus acceperunt, quod traderent; custodienda etiam diligenter, sedulo, fideliter, ut suo tempore, cum oportuerit, quibusque oportuerit, reddamus: devitantes, ut præmonet Paulus, quidquid in Fidei, morumque Disciplina adinventum, aut immis- sum est posterius, sententias, dogmata, res, novi- tia quoque verba, quoad licebit.

Is itaque propositus mihi Scopus, hùc tota mea collimabit oratio, ut ea qua per me fieri ratione po- test, illos salvem quasi de igne rapiens, qui par- volorum more, sive arundinum instar hàc illàc ja- ctantur omni vento doctrinæ, et ad lectionem li- brorum, qui postremis his temporibus nimis multi in lucem prodire, quique Atheismo vel Deismo infecti sunt, inconsulto, aut data opera animum adjiciunt. Atque utinam possem simul cum sermo- ne penetrare in animos omnium, qui in hujusce- modi scripta incidunt, indeque telum evellere, quo vulneratur quicumque non est Dei armatura mu- nitus! Hoc equidem nil fecerim libentius.

Sed quoniam solius Dei est modo quodam in- visibili adire secundum suum spiritum una cum Christi Spiritu eos, ad quos venire judicat operæ prætium; id unum, quod penes me est, et ad mu- neris mei partes vel maxime spectat, hodierna ora- tione perficiendum constitui, nimirum commoné- re omnes litterarum studiis impensius vacantes, nè in iis excolendis prætereant terminos, quos posue- runt Patres nostri, sed sese intra sacratæ, atque incorruptæ vetustatis castissimos limites contineant, perhorrescentes prophanas vocum novitates, et op- positiones falsi nominis scientiæ, ob quam multi



heu quot! et nostro, et superioribus sæculis Fidei, Religionisque jacturam passi sunt.

En suscepti operis argumentum, arduum quidem pro mei ingenii viribus, vobis tamen, PP. AA., gratum, ut opinor, et probandum maximè; ingeniosis vero Adolescentibus perutile, ac opportunum omnino, nequis eos seducat per philosophiam, et inanem fallaciam.

Sed nemo cultioris sermonis peritus orationem nimis accuratè elaboratam, ornatamque à me sit expostulaturus; nam et veterum Sapientia, quam ceu normam ad Juvenes piè litteris imbuendos commendare aggredior, modesta cum sit, non ambit ornatum; cum sit gravis, fucum ignorat; cum virilis, mundo muliebri non capitur. Quidquod? Cum casta Dei eloquia, et Sanctorum Patrum scripta nocturna, diurnaque manu evolvere Sacramento Religionis perpetuò tener, violatæ fidei reus quodammodo existerem, si grave, ac sententiosum dicendi genus, quod in illis tantopere demiramur, prophænæ eloquentiæ leporibus, oratorumque gentilium flosculis non præponerem.

Quare mentes, auresque jam vestras erigite, quotquot in hoc omnium augustissimo Complutensis Academiæ adstatis Senatu, et quæ in laudem venerabilis Antiquitatis more nostro scholastico dicturus sum, æqui, bonique consulite.



**Q**uod olim prædictum erat, solvendum ad finem sæculi Satanam, potestatemque accepturum, ut seducat Gentes, ac hæreseon omnium quasi agmine facto civitatem Dei appugnet, atque subvertat, terrimis hisce nostris temporibus adimpletum nemo non videt. Subintroierunt enim quidam homines, (qui philosophorum nomine vulgo circumferuntur, quosque apertissimis verbis describit Apostolus) seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes: homines corrupti mente, reprobi circa fidem, vaniloqui, et seductores, semper discentes, et ad scientiam veritatis nunquam pervenientes; qui perfractis religiosæ, atque incorruptæ vetustatis repagulis, semelque arrepta libertate philosophandi, eò dicacitatis, et audaciæ provecti sunt, ut nil non rerum nostrarum crimentur, nil sacri, nil religiosi, quod ludos non faciant, quod non irrideant, atque conculcent, magnam nominis celebritatem inde sese consequuturos sperantes, uti de Juliano testatur S. Cyrilus. Hinc paucis ab annis tot nova prodierunt philosophorum cogitata, tot etiam de rebus gravissimis asserta, ut barbatulo cuique professori turpe videatur vestigia antiquorum premere, explosisque aliorum sententiis, nova non meditari. Atque hi putidi fontes, isthæc sunt semina, ex quibus hodie opinionum, errorum, blasphemiarum tantæ fruges. Nam antiqua est veritas, inclamat Augustinus, novitium, et temporale mendacium; nec quisquam



hæresim instituit, nisi qui se prius ab Ecclesiæ catholicæ, et antiquitatis consensione discreverit.

Sic, ut alios missos faciam, priscorum Patrum sensus, et dogmata irridebant Hussus, Wicleffus, Abailardus, exhausti ruboris homines. Apostolici, et Berengarius cum manipularibus eosdem arroganter impudenterque nimis aspernabantur. Eutichem accusat Vigilus Martir, quod petulantis animi supercilio antiquitus traditas à Patribus regulas pro viribus dejecit, ut à se confictas in Ecclesiam induceret. Nestorius, teste Socrate, veterum Interpretum libros versare noluit, sed se ipsum omnibus præstantiorem dixit. Pelagiani apud Lirinensem Catholicis sic occinebant; nobis auctoribus, nobis principibus, nobis expositoribus, damnate quæ tenebatis, tenete quæ damnabatis, rejicite antiquam fidem, paterna instituta, majorum deposita. Originem quoque tunc errasse subjicit, dum ingenio suo nimium indulgens, sibi que satis credens, ecclesiasticas traditiones, et veterum magisteria contempsit. De Eunomio conqueritur Basilius, quod nil daret antiquitati, nec revereretur eorum multitudinem, qui ab illo tempore, quo Ecclesiæ Christi fundamenta jacta sunt, magna posterum admiratione floruerunt. Sed quid de Gnosticis Ircnéus? Undenam tot virulentas sententias protulére? Nimirum adeo intumescebant, ut neminem sibi aut scribendi industria, aut persuadendi artificio, aut rerum omnium cognitione parem, nequidem Petrum, et Paulum, gloriarentur; quamobrem se primos veritatis inventores, et assertores; quin etiam cæteris omnibus ignota mysteria se solos aperuisse, quæ



cunctos Presbyteros, et Discipulos latuerant, se denique Spiritu Sancto imbutos, atque perfectos, catholicos vero choicos, et animales esse per summam impudentiam traducebant.

Deum immortalem, quam pressis vestigiis Hæreticos præsentibus Gnosticis superioribus adhærere videmus! Quam arroganter Patrum omnium scripta, et lucubrationes irrident, atque despiciunt! Istorum omnium antesignani, ac primipili Luteri præposterum judicium subnectam. "Ego, ait, adversus dicta Patrum, et Angelorum pono Evangelium, (sic enim suos vocitat libros) hîc sto, hîc sedeo, hîc maneo, hîc glorior, hîc triumpho, hîc insulto Papis-tis, Thomistis, Henricistis, Sophistis, et omnibus dictis hominum quantumlibet Sanctorum. Nil curo, si mille Augustini, mille Cypriani, mille Ecclesiæ contra me starent. Doctrinam meam nolo judicari à quocumque, nec ab Episcopis, nec ab Angelis omnibus: volo per eam et Angelorum quoque judex esse." Quis, obsecro, ad tantam arrogantiam non obstupescet, non ab eadem abhorrebit? Quis non à Satana primo superbiæ parente profectam, et animo Apostatæ instillatam non judicabit? At vero jam me pudet, pigetque cætera persequi, cum longe deteriora videat, experiatur, ac ferre cogatur ætas nostra, sæculum nostrum, quoniam superbia eorum, qui venerabiles illos sapientiæ proceres oderunt, ascendit semper, jamque supremum apicem attigisse gementes conspicimus. Ad Pseudo-illuminatos postremi temporis Philosophos tota se nunc vertit oratio. Hi autem sunt, qui et spiritus fortes, et mortalium omnium scientissimi, sapientissimique videri volunt;



qui scilicet in bonis artibus, et doctrinis se triarios, duces, et imperatores venditant, totius orbis oracula, liberatores, reformatores, homines denique propitio Numine terris datos, ut humano generi ab ipsa antiquitate in densissimis ignorantiae tenebris jacenti facem præferant, ac scriptis suis, quæ in communem gentium utilitatem se edere profitentur, veram, unicamque felicitatem omnibus indigent, ad hæc usque tempora unicuique ignotam. Vah tumentes animos! Vah impudentiam singularem! At evanuerunt in suis cogitationibus, et dicentes se esse sapientes, ac Philosophorum partes agere, stulti facti sunt, cum nihil minus agant, quam quæ non Philosopho tantum, sed nec viro mediocriter honesto sunt digna.

Vos, vos testes appello, AA. In mentem revocate, quæ ipsimet propriis oculis vidistis, et manus vestræ contrectaverunt; infanda opuscula, quibus universa scatet Europa; pestiferos liberculos Epistolarum, speciminum, tractatum, cogitationum, Ephemeridum, fragmentorum, poematum, romanensium, quorum vel solum nomen horrorem incutit, quique per summum dedecus proxime elapso, et hoc nostro sæculo publicam lucem aspexere. Heu, quæ retia innocentiae parata! Quæ convicia in Deum, et in Christum ejus! Quæ disputationes de certissimis Religionis capitibus, ad infirmandam eorum fidem! Quo sale, mordacique aceto revelatio ipsa perfusa! Nullam quippe, ut Athenagoræ verbis utar, veritatis partem à calumniis liberam reliquerunt; non Dei existentiam, non ejus scientiam, non operationem, non quæ ex his apta serie conse-



quuntur, et pietatis formam nobis exprimunt: sed alii veritatem in hujusmodi rebus omnino desperant, alii ad suas opiniones detorquent, alii de industria res ante oculos positas in dubium revocant, Bælii asseclæ ex corde effecti; alii eò usque processere, ut Religionem ab ignorantia, metu, atque præjudiciis derivasse effutierint, eamque uti rem tristem, et formidolosam traducant. Belli sanè philosophi, qui non sapientiam, cujus se falsò amatores prædicant, sed temeritatem, non doctrinam, sed errorem pessimè consectantur, probantes infanda, et absurdissima quævis, illa etiam, quæ, Varrone teste, nemo ægrotus somniavit unquam.

At quid mirum? Auctoritate Ecclesiæ neglecta, sæculis præteritis erroris insimulatis, Sanctis Patribus per contemptum habitis, repagulis pudoris omnibus effractis, ratione, atque phantasia omnino contenti, utilitatis, et voluptatis lance pensantes omnia, divina, humanaque, leges, jura, mores, historiam, scientias, Theologiam, Politicam, Sacerdotium, et Imperium, ecquid aliud ex hac sentiendi, dicendique, quidquid libido ferret, libertate consequi poterat, nisi quod vidimus, nimirum ut turpiter, ac perversè de omnibus et singulis Religionis capitibus ratiocinarentur? Mirandum tamen, et quidem maximè ardens studium, quo istiusmodi libri perquiruntur ab iis, qui se christianos jactitant; voluptas, et plausus, quibus ubique excepti sunt; ars denique adhibita, ut in Regni viscera ipsa, et in omnes populos irreperent, ut colonias nostras inficerent, quò magna copia fuerunt deportati.

Jam vero haud opus est Neutoniano ingenio ad



dignoscendum, quid inde consequi necesse sit ex artibus adhibitis, ut omne Religionis principium evellatur. Nam nimis finitimæ sunt impietas, et morum corruptio, ut citò non possint simul conjungi. Ipsa etiam experientia, quovis sermone superior, satis apertè demonstrat sine alterius vitæ timore viventes, quin conscientiaë stimulis agitentur, sceleratissimis cupiditatibus obsecundare; quidquid fini, ac scopo, quo tendunt, expediens fuerit, ipsis probatum iri, homicidia, veneni propinatio, furta, rapinæ, adulteria, seditiones, tumultus, rebelliones, juramentorum violatio, perpetua fraus in pactis, in conventis, in sigillis, in Religione ipsa: homines vero ita sentientes, ita agentes, hujusque Ethicæ discipulos quis non videt jam paratos esse ad quælibet facinora suscipienda, et ad publicam tranquillitatem perturbandam?

O utinam Rerumpublicarum Moderatores, sui saltem, suorumque utilitate tacti, maturè hæc animo perpendissent! Utinam persuasum sibi esset hostes Religionis, et Sacerdotii esse itidem Societatis, et Imperii hostes, nullamque hominum rationem haberi, ex quo initum consilium est Deum contemnendi! Utinam gladio illo suo usi fuissent ad coerendos, mulctandos, dissipandos sceleratorum hominum greges, qui simulato libertatis nomine extremam utriusque Reipublicæ perniciem moliebantur! Sed nos in culpa fuimus, et peccatis nostris debebatur, ut ementitæ philosophiæ infaustum videremus triumphum, et universa, quæ ipsum comitata, aut subsecuta sunt mala. Heu, quantum calamitatis! Quantus effusus sanguis! Quot, quantæ-



que in fide, et moribus clades! Quod chaos! Quæ confusio! Tunc siquidem non solum res parvæ, sed etiam maximæ, privatæ simul et publicæ, sacræ prophanæque, omnes labefactatæ sunt: nec enim tantum adfinitates, cognationes, amicitia, domus, verum etiam urbes, populi, provinciæ, nationes, postremò orbis totus, quantus hìc latè patet, concussus et emotus est. Tunc abominatio desolationis in florentissimo Galliarum Imperio, Philosophis et Jansenistis arctissimo inter se inito fœdere, ac simul in unum conspirantibus, ut illud sùs dèque verterent. Tunc disrupta vincula illa sacra, et inviolabilia, quæ Populum cum Principe omnium æquissimo colligabant, deturbati è suis sedibus Pastores, acti in exilium Sacerdotes; Virgines Deo sacræ indignissimè habitæ; oppleta optimis civibus ergastula, carceres; regio quoque sanguine redundantia patibula. Tunc despoliata Monasteria, quin præter semirutos parietes, et deploranda rudera supersint jam ulla avitæ pietatis indicia; Augustissima Templà, et stupenda æterno dicata Deo monumenta sub specioso eruendæ superstitionis obtentu sordidissimo conspurcata vituperio; ad Altaria Christi stabulati equi, Martyrum effossæ Reliquiæ, suffecti in locum Petri, et Pauli Apostolorum perditissimi homines Marat, et Pelletier; ablegatum è tota Ditione Dei Hominis Regnum, substitutumque impiissimum Religionis commentum, Naturalismus, Pirrhonismus, Atheismus... Tunc... proh scelus! Quis crederet hoc videndum esse unquam? At visum est tamen, conclamatum in capite Provinciarum, ut teterrimum illud Rationis templum adirent omnes, adorarent-



que sedentes in loco Sancto Meretricem magnam.

En AA., celebratum Philosophorum ingenium. En quo tandem devenerunt vafrae illae sollicitudines libertatis, æqualitatis, patriotismi, felicitatis, Nationis, mercimonia extendendi, Imperii augendi, quas tanquam primarii Politici plenis buccis effutiebant, ac suis in scriptis tantopere jactitabant. En utilitates, emolumenta, commoda maxima, quæ attulerunt Societati novi Legumlatores Spinoza, Hobbesius, Puffendorfius, Barbeiracius, Tolandus, Montesquivius, Mirabeavus cum gregalibus suis. Iste, iste est omnis fructus opinionum, sistematum, adinventionum recentis philosophiæ: haud enim ullam aliam ob causam tot mala, strages, vastitates, ruinæque tantæ evenerunt, nisi quia pro cœlesti dogmate Inventa introducta sunt hominum; nisi quia benefundata antiquitas scelestam novitatem fuit subvertita; quia violata majorum instituta, quia posthabita superiorum præcepta, semel dicam, quia sese intra terminos, quos posuerunt Patres nostri, prophanae, ac novellæ curiositatis libido non continuit.

Sed forsitam odio novitatis, et amore vetustatis hæc fingimus. Quisquis hoc æstimat, auscultet divinitus inspiratum Baruch: "Audi, inquit, Israel, » mandata vitæ, auribus percipe, ut scias prudentiam. » Quid est, Israel, quod in terra inimicorum es? De- » reliquisti fontem sapientiæ; nam si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna. Di- » sce (ex his saltem flagellis), disce, ò Juda! ubi sit » prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias » simul, ubi sit longiturnitas vitæ, et victus, ubi sit » lumen oculorum tuorum, et pax. Quis invenit lo-



» cum ejus, et quis intravit in thesauros ejus? Ju-  
 » venes viderunt lumen, viam autem disciplinæ igno-  
 » raverunt, neque intellexerunt semitas ejus, neque  
 » filii eorum susceperunt eam; à facie ipsorum lon-  
 » ge facta est, propterea perierunt. Non est audita  
 » in terra Chanaan, neque visa est in Theman. Filii  
 » quoque Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de  
 » terra est; negotiatores Merrhæ, et Theman, et fa-  
 » bulatores, et exquisitores prudentiæ, et intelligen-  
 » tiæ (ad unius naturalis luminis ductum)... Non  
 » hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ invene-  
 » runt. Sed qui scit universa, novit eam: Hic est  
 » Deus noster: hic adinvenit omnem viam disciplinæ,  
 » et tradidit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto  
 » suo. Post hæc in terris visus est, et cum homini-  
 » bus conversatus est." Hæc ille (*cap. 3*).

Una igitur spes hominis, verbis Lactantii ur-  
 geo, una salus in hac cœlesti doctrina, quam è si-  
 nu Patris Filius in Mundum detulit, posita est.  
 Quanta itaque voce possum, testificor, proclamo,  
 denuncio. Hoc est illud, quod Philosophi omnes in  
 tota vita sua quæsierunt, nec unquam tamen in-  
 vestigare, comprehendere, tenére valuerunt, quia  
 aut pravam Religionem habuerunt, aut totam pe-  
 nitus sustulerunt. Facessant igitur illi omnes, qui  
 humanam vitam non instruunt, sed turbant. Quid  
 enim docent? Aut quem instruunt, qui se ipsos  
 non instruxerunt? Quem sanare ægroti, quem re-  
 gere cæci possunt? Hùc ergo nos omnes, quibus est  
 cura sapientiæ, conferamus. An expectabimus, do-  
 nec Socrates aliquid sciat? Aut Anaxagoras lumen  
 in tenebris inveniat? Aut Democritus veritatem de



puteo extrahat? Aut Empedocles dilatet animi sui semitas? Aut Arcesilas, et Carneades videant, sentiant, percipiant? Aut recentes illuminati sua promant grandia volumina, et ad depellendas ignorantiae tenebras coeant Marchio Argensis cum *suis Epistolis Judaicis*, et *philosophia boni sensus*, cum suo Emilio Russojus, cum suo spiritu Helvetius, cum *suis poematibus* Voltærus? Apage nugas. Ecce vox de Cælo veritatem edocens, et nobis sole ipso clarius lumen ostendens. Quid nobis iniqui sumus, et sapientiam suscipere cunctamur, quam docti homines, contritis in quærendo ætatibus suis, nunquam invenire potuerunt?

Qui vult sapiens, ac beatus esse, adeat Dominum narrantem in Scripturis Populorum, et Principum; non quidem hujus Mundi, qui veritatem injustitia captivatam mutaverunt in mendacium, ipsum rationis lumen obscurantes, sed eorum, quibus credita sunt Dei eloquia casta, probata sicut argentum, quosque ipse Dominus dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et Doctores ad coagmentationem Sanctorum, nè fluctuemus sicut parvuli ad omnem ventum doctrinae, donec evadamus omnes in virum perfectum. Scrutetur verus Philosophus, qui veram, non fucatam sapientiam quærit, attenta mente pervolvat quaecumque, divino afflato spiritu, scripsere Sancti Dei homines; ita sane, desiderio suo minimè fraudabitur, sed fient in eo fluenta sapientiae salutaris, quoniam apud rusticanos, et pisces nostros plena, atque perfecta sunt omnia.



Hic quidquid jucundissimi habent Poetæ, quidquid acutissimi Philosophi, quidquid magnifici Historici, et oratores, quidquid demum Summi, præstantesque Porticus, et Academiæ personarunt unquam. Hic paginæ singulæ pluribus, magisque rationi consonis præceptis redundantes, quam totum Epicteti Enchiridion, Cebetis tabula, Platonis, Socratis, Antonini, Plutarchi opera omnia. Quæ enim disputationes, inquit Augustinus, quæ litteræ quorumlibet Philosophorum, quæ leges quarumlibet Civitatum duobus præceptis, ex quibus Servator Mundi dixit totam Legem, Prophetasque pendere, ullo modo sunt comparandæ? Hic illa desursum descendens sapientia, quæ primum quidem pudica est, dein pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis. Hic vera Ethices, universa hominis officia accuratissimè complectens, quoniam non aliunde formatur, quam cum ea, quæ diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, reapse diliguntur, Deus videlicet, et proximus. Hic excellentior via ad æqualitatem, ad amicitiam, ad opes, ad libertatem, quam docti Ecclesiæ Catholicæ viri nobis demonstrant, et quidem in uno charitatis vinculo, ex fide non ficta. Hic etiam laudabilis Reipublicæ salus; nec enim conditur, aut custoditur optimè Civitas, nisi fundamento, et vinculo fidei, firmæque concordiæ, quæ, si ut dignum est, sincerè observaretur, longe melius Romulo, Numma, Bruto, cæterisque illis Romanæ Gentis præclaris viris constitueret, consecraret, firmaret, augetque Rempublicam.

Quæ cum ita sint, mirari satis nequeo tantam



quorundam hominum vesaniam, tantam excæcatæ mentis impietatem, tantam postremo errandi libidinem, ut contenti non sint tradita semel, et accepta antiquitùs credendi regula, sed nova, ac inaudita in diem quærant, semperque aliquid gestiant Religioni addere, mutare, detrahere, quasi non cæleste dogma, sed terrena sit institutio, quæ aliter perfici nisi assidua emendatione, immò potius reprehensione non possit, cum divina clament oracula: *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui:* et illud apostolicum, quo hæreseon omnium sceleratæ novitates velut quodam spiritali gladio sæpè proscisæ, semperque proscindendæ erunt. *O Timothee, depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* Ac si dicat: (nam lubet cum Vincentio Lirinensi in re adeò gravi dilucidanda tantisper immorari.) O Episcopo, ò Sacerdos, ò Doctor, si te divinum munus idoneum fecerit ingenio, exercitatione, doctrina, esto spiritalis tabernaculi Beseleel, pretiosas divini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapienter; adjice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur te exponente illustrius, quod ante obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen, quæ didicisti, edoce, quoniam res non ingenii, sed doctrinæ, non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis est. Catholicæ Fidei talentum inviolatum, ilibatumque conserva, devitans quasi viperam, quasi scorpionem, quasi basiliscum, quidquid vetustati,



atque antiquitati contrarium est, dogmatum, rerum, sententiarum novellas adinventiones, quæ si semel admittantur, necessum est, ut omnes cujusque ætatis fideles, omnes Sancti, omnes Virgines, tot Confessorum millia, tot Martyrum exercitus, tanta Urbium, tanta Populorum celebritas, et multitudo, tot Insulæ, Provinciæ, Regna, Nationes, totus denique jam penè terrarum orbis, per fidem Christo capiti incorporatus, tanto sæculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse quid crederet, pronuncietur; quo nil absurdius.

At dicet aliquis, tu vitio vertis, si quis augendis, meliorandis, perficiendis iis, quæ antiquorum sunt ingenio, ac diligentia elaborata, animum admoverit, omnesque curas suas consecrarit? Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur doctrinæ? Habeatur plane, et maximus; sed ita tamen, ut verè sit ille profectus doctrinæ, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsa unaquæque res amplificetur; ad permutationem verò, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur, et multum, vehementerque proficiat tam singulorum, quàm omnium, tam unius hominis, quàm totius Ecclesiæ, ætatum, ac sæculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia. Quodcumque in Ecclesiæ Paradiso, Dei agricultura, Patrum labore satum est, hoc idem filiorum industria colatur, floreat, maturescat, hoc idem proficiat, perficiatur: et prisca illa cœlestis philosophiæ dogmata à posteris excurentur, limentur, poliantur; sed nefas est, ut commutentur; de-



trucentur, mutilentur, humanorumque ingeniorum quasi extranea additamenta recipiant. Nam si novitia veteribus, extranea domesticis, et prophana sacratis admisceri cœperint, proserpat hic mos in universum necesse est, ut nil posthac apud Ecclesiam relinquatur intactum, nil integrum, nil immaculatum, sed sit ibidem deinceps impiorum, ac turpium errorum lupanar, ubi erat antea castæ, et incorruptæ sacrarium veritatis.

Sed avertat à suorum mentibus tantum nefas pietas divina, faciatque, ut inter serpentis philosophiæ tot novationum anfractus illud teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus traditum est, inhærentes, adglutinati Beatorum Patrum fidei; probantes nos veros, ac legitimos filios Almæ hujus Complutensis Academiæ, quæ à sui constitutione sedula, et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nil in his unquam permutavit, nil minuit, nil addidit, sed omni industria, sed totis viribus hoc unum studuit, ut vetustis novitatem daret, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus naturam suam, et naturæ suæ omnia. Itane? At quis tam invidus nobis, tam exosus Compluto, ut in contentione litterariæ estimationis primas doctrinæ laudes ei concedere detrectet? Ecqua in re, amabo, cæteræ quotquot extant per totum orbem, Academiæ excelluerunt unquam, in qua eadem non præluxerit nostra?

Ab illis lumina sacris Bibliis adlata sunt plurima? Adlata prius à Complutensi sub magno illo, ac celebratissimo viro Ximeno? Disciplinam illustrarunt, quæ de Deo, ac de veræ Religionis præceptio-



nibus, institutisque agit? Quid Joanne à Sancto Thoma, ut alios prætermittam, quid Tapia, quid Vazquio, quid Velloſillo, quid Salmeron, quid Ayala, quid Lorca illustrius? Aperuerunt divini Verbi arcanos sensus. Sancto Thoma à Villanova, Cypriano de la Huerga, Montano, Sotomayor, Castro; quid excogitari potest prius? In philosophicis, ac mathematicis, in juris, ac legum peritia, in philologicis, ac in scribendis luculenter rebus gestis, ea copia adfluxit semper clarissimorum hominum, ut Hispania, immo Europa ipsa, certè quidem doctissima, suo ipsius jure esset habenda, etsi præter Complutenses gnarum procreasset harum facultatum prope neminem.

Quod si de singulis seorsùm artibus dictum iri statuissim, quando exitum inveniret oratio? Quando in unaquaque earum præstantissimos quosque nominandi finem fecissem? Quando digna in jurisconsultis laude adficerem Ant. Augustinum, Ildephonsum Benitez, Didacum Cuellar? Quando egregios in Historia Loaisam, Morales, Ocampum, Marianam, et novissimum omnium Florez? Quando in medendi arte Christophorum de Vega, Cartagena, Alvarez, Burgo, Henriquez, Vallemque divinum? In studiis humanitatis, ac pene omnium notione linguarum Nebrissensem, Ferraram, Garciam, Vergaram, Zuñigam, Ramirez? In dicendi facultate Petrejum, Fontidonium, Matamoros, quibus nil plenius, nil uberius fingi potest? In alia etiam ratione dicendi pedibus adstricta, facultate nempe Poetica, Lupum de Vega, Bacam de Guzman, Figueroam, aliosque sexcentos, qui immortale harum



Athenarum decus, et ornamentum, exemplar, ac lumen extitêre omnium Gentium?

Tot igitur Virorum nominatorum intuentes exitum, Juvenes optimi, (nam ad vos præcipue sunt hi sermones mei) eorum vestigia pressius tenete, doctrinam sequiminor, et tantam gloriam ab ipsis partam maculari, aut decrescere ne patiamini. Adtendite autem vobis ab hodiernis Pseudo-illumina-  
tis, qui dissensiones, et offendicula præter doctrinam, quam ipsi didicistis, faciunt, et declinate ab illis. Hujusmodi enim Christo Domino non serviunt, sed suo ventri, et per dulces sermones, et benedictiones seducunt corda innocentium. Ex fructibus eorum cognoscetis eos, cum scilicet scindi sepem videritis, cum transferri Patrum terminos, cum catholicum dogma cædi, cum Ecclesiasticam Disciplinam lacerari. Cavete, inquam, nefarios istos sapientiæ proditores, cavete improbos litterariæ Reipublicæ hostes, doctrinæ eversores, portenta bonarum artium, busta omnium disciplinarum. Si vobis sapientia cordi est, si litteras verè amatis, si litterarum gloria, studioque ducimini, perniciosam istam sciolorum sectam, quantum valetis, pro viribus fugite, eorum miserrimam, ac inanissimam litteraturam contemnite, conversi ad viros præstantissimos, omni disciplinarum genere excultos, quibus nostrum abundat Complutense Gimnasium. Hos Magistros, hos Sapientiæ Parentes ea, qua par est, reverentia suscipite. Horum sententias, horum verba custodiat cor vestrum, ut his ducibus ad veræ, solidæque doctrinæ laudem pervenire tandem possitis. DIXI.



